



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10261**

De S. Aredio abbate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

DE CONVERSIONE, MIRACVLIS AC OBITU  
AREDIÏ ABBATIS: EX HISTORIAE FRANCO-  
rum S. Gregory Turonensis lib. 10. cap. 28.

Augusti 25.

Nicerius  
Episcopus  
Treuirensis  
instituit  
Aredium.



Quid colu-  
ba in capite  
Aredij resi-  
dens præsi-  
gnatit.

Pelagia ma-  
ter Aredij.

Nota de  
monasterio  
ab Aredio  
constructo.

Signo Cru-  
cis Aredius  
multos sa-  
nat.

Aquam co-  
piofam præ-  
cipit impe-  
tat.

**I**NTEREA fuit quidam, nomine Aredius, qui hoc anno terras relinquens, vocante Domino, migravit ad caelum. Lemouicinae urbis incola fuit, non medio cribus regionis suae ortus parentibus, sed valde ingenuis. Hic Theodober- to Regi traditus, aulicis & palatinis adiungitur. Erat autem tunc temporis apud urbem Treuericam vir eximiae sanctitatis Nicerius Episcopus, qui non solum in praedicatione admirabilis facundia, verum etiam in operibus bonis ac mirabilibus, celeberrimus habebatur in plebe. Qui intruens puerum in Regis palatio, nescio quid in vultu eius cernens diuinum, praecipit ei se sequi. At ille, relicto Regis palatio, iecutus est eum. Cumque ingressi in cellulam, de ijs, quae ad Deum pertinent, confabularentur, expetijt adolescens a beato sacerdote se corrigi, edoceri, instrui, ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cumque, in huius studij flagrantia cum Antistite memorato degeret, tonsurato iam capite, quadam die psallentibus clericis in ecclesia, descendit columba a camera: quae leuiter volitans circa eum, resedit super caput eius, illud indicans, vt opinor, cum Spiritus sancti gratia iam repletum. Quam cum ille non sine pudore conaretur abigere, haec paululum circunvolans, iterum super caput eius aut scapulam residebat: quae non modò ibi, sed etiam cum in cellulam Episcopi ingrederetur, iugiter comirabatur eum. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione Episcopus animaduertebat.

Exinde vir Dei, Spiritu, vt diximus, sancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quae nullum consanguineum praeter hanc sobolem spectabat. Vbi cum ieiunijs atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura domus, id est, siue correctio familiae, siue exercitium agrorum, siue cultus vinearum, ad eam adspiceret, nè sibi aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret: vnum tantum sibi priuilegium vendicans, vt ad ecclesias aedificandas ipse praesert. Quid plura? Construxit templa Dei in honorem sanctorum, expetiuitque eorum pignora, ac ex familia propria tonsuratos instituit monachos, coenobiumque, fundauit, in quo non modò Cassiani, verum etiam Basilij & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regula, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minus haec tamen, impedita hoc onere, in Dei laudibus persistebat, sed assidue in eis versabatur: & si quidam operis exerceret, semper orationem Domino, tanquam odorem incensae acceptabilis, offerebat. Interea ad sanctum Aredium coeperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo Crucis imponens, sanitati reddebat. Quorum si singularem nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare. Vnum tamen noui, quod quicumque ad eum ager aduenit, sospes abscessit. De maioribus vero miraculis parua proponimus.

Quodam tempore dum cum genitrice iter ageret, & ad sancti Iuliani martyris basilicam properaret, venter vespere in quaedam locum. Erat autem locus ille aridus, & absque fluentis currentibus infœcundus. Dixitque ad eum mater eius: Fili, aquam non habemus, & qualiter hinc nocte praesenti quiescere possumus? At ille prostratus in orationem, diutissime preces fudit ad Dominum: & erigens se, defixit virgam in terra, quam manu gerebat, eamque cum bis, aut tertio vertisset ad se, lactus extraxit, moxque vnda aquae secuta est tam valida, vt non solum ipsis de praesenti, sed etiam pecoribus affatim deinceps pocula ministraret.

Nuperrimo autem tempore, cum iter carpere coepisset, nimbus ad eum pluuia aduenire coepit. Quod ille cernens, paululum super equum, in quo sedebat, caput inclinans, manus extendit ad Dominum. Consummata vero oratione, diuisa est nubes in duas partes, ac in circuitu maxima descendit pluuia: super eum autem ac socios eius nulla, si dici fas est, gutta descendit. Vistrimundo vero, cognomento Turoni, cui Turonico, dentes grauem inferebant dolorem, ex quo etiam maxilla intumuerat.

Quod

Quod cum beato viro ostendisset, ille manum super locum doloris posuit: statimque dolor fugatus, nusquam deinceps ad iniuriam hominis excitatus est. Hæc ipse, qui passus est, retulit. De his verò signis, quæ per virtutem sancti Iuliani martyris, Martinique confessoris beati, in eius manibus Dominus operatus est, pleræque in libris miraculorum scripsimus.

De hoc dicitur de devotio-  
nem.

Post has verò & multas alias virtutes, quas Christo cooperante complevit, advenit Turones post festivitatem sancti Martini, ibique paululum commoratus, dixit nobis, se aut longæuo tempore adhuc in hoc mundo retineri, aut certe velocius dissolui. Et vale dicens, abscessit, gratias agens Deo, quod priusquam obiret, sepulcrum beati Antistiti osculari promerisset. Cumque ad cellulam accessisset, testamento condito, ordinatisque omnibus, ac sancto Martino, Hilarioque Antistitibus heredibus constitutis, ægrotare cœpit, ac dysenteria morbo gravari. Sexta verò ægrotationis eius die, mulier, quæ à spiritu immundo sæpius vexata, à sancto emundari non poterat, ligatis per se à tergo manibus, clamare cœpit, ac dicere: Currite civis, exilite populi, exite obuiam martyribus, confessoribusque, qui ad excessum beati Aredij conveniunt. Ecce adest Iulianus à Brinate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialisque ab vrbe propria. Adest Saturninus à Tolosa, Dionysius ab vrbe Parisiaca, nonnulli & alij, quos cælum retinet, quos vos ut Confessores & Dei Martyres adoratis. Hæc cum in exordio noctis clamare cœpisset, à domino suo reuincta est. Quæ nequaquam potuit retineri, sed rumpens vincula, ad monasterium cum his vocibus properare cœpit. Moxque beatus vir spiritum tradidit, non sine testimonio veritatis, quod sit susceptus ab Angelis. Mulierem nanque in exequijs suis, cum alia muliere nequiori spiritu vexata, ut est sepulcro reclusa, à nequitia infesti dæmonis emundavit. Et credo, quod ob hoc, Dei nutu eisdem in corpore positus non potuit emundare, ut exequia illius hac virtute glorificarentur. Post celebratum verò funus, mulier quædam rictu patulo sine vocis officio ad eius accessit tumulum: quo osculo delibato, elocutionis meruit recipere beneficium.

Nota sancti  
viri deuoti-  
onem.

Defunctus  
duas sanas  
dæmonia-  
cas.

## VITA S. HVNEGVNDIS VIRGINIS, AB EPI- SCOPO QVODAM, VT APPARET, ANTE ANNOS

*sexcentos conscripta, cuius nomen vetustus MS. Codex non habuit.*

*Stylum obscuriorem mutauit passim F. Laur. Surius,  
adiecto ad marginem capitulum numero.*

### AUTHORIS PRAEFATIO.



**B**EATORVM ac venerandorum Patrum scripta memorabilia, quibus membra & versutias callidi hostis, Euangelico accincti gladio, confecerunt, interiorem hominem nostrum diuinis perfundunt eloquijs: nec minus exteriorem & corruptibilem, quadam sermonis difficultate impeditum, materna eademque virginea excitat & confirmat collatio. Ex his enim genus victoriae extitit egregium, quo diabolus vnà cum suis armis, omni est dominatum exutus: quodque primis parentibus vitæ excidium attulit, per id rursus in sui augmentum caelestis patriæ regnum profecit. Eadem planè natura, quæ viro obrulit gustum pomi exitialis, per sanctas virgines exempla præbuit à vitijs sese continendi: quæque primùm facile consensit, ut caderet, essetque calamitatis & miseriæ mater: postea per Christi gratiam fortiter restitit, ut prostrato malo dæmone, soror & mater Saluatoris, gratuita eius electione fieret. Ad hanc diuinæ gratiæ sortem admissa beatissima Hunegundis virgo, ex immaculato diuini fontis vtero renata, & in Catholice matris Ecclesie sinu educata est. Cuius pauca quædam vitæ gesta scribenda suscepi, quemadmodum à fidelibus hominibus accepi. Obsecro autem, ut me peccatorum principem, & vltimum sacerdotum, vestrarum precum suffragijs adiuuetis, ut sanctus mihi spiritus adesse dignetur, qui & facinorum nostrorum maculas diluat, & linguam ad explicandas virginis res gestas efficiat disertam.

Gen. 3.